

Vockerodt

1710

Biogr. er. D

1542, 18

27. 7. 33.

PRO CHRISTI GLORIA
PUGNANTIVM PIORVM DOCTORVM
FATA,
IN
ALEXANDRINI EPISCOPI,
D. ATHANASII,
exemplo
spectata, & repræsentata,
ab
ILLVSTRIS GYMNASII GOTHANI
RECTORE,
GOTHOFREDO VOCKERODT.

P. P. GOTHÆ, MDCCCLXXVII.

Biogr. erud.

1542, 18

() H. f. eccl. L. 2. c. 28. (V) M. 1. V. 1.



Lexandrinæ Ecclesiæ antistes, Athanasius, ingenio, doctrina, & dicendi facultate eminens, spectatusque vitæ proposito, studio, & actu rerum præclarissimarum, illustri documento fuit, non probabiles magis, & tolerabiles fuisse pios doctores, & strenuos religiosæ veritatis assertores pacata re Christiana, & a profanorum tyrannorum impotentia vindicata, quam florentissimo Reipublicæ & Ecclesiæ Iudaicæ statu fuerunt serui DEI, prophetæ, quoties solenne & perpetuum pacatorum temporum malum, doctrinæ non minus, quam cultus publici labem, culparunt, seque lapsi a diuinis institutis patrii moris vindices præbuerunt. Vere apud *Sozomenum* (a) Constantinus M. de suo tempore dixit: *Ex quo meam DEO addixi operam, pacata sunt omnia: ac ipsi barbari nomen Dei legitime prædicant: nec facile tamen maxima Ecclesiæ lumina tam barbaris odiis, quam eo ipso tempore, vexata sunt, atque oppressa.* Ad eò vera, viua & fructuosa IESV CHRISTI cognitio, humanæ mentis decus, lumen, salus, & placatio vnica odiosa, res est, & molesta mortalium ingeniis, sibi adhuc relictis, & indulgentibus: nec tanta satis esse, nitique potest vllis humanis præsidiiis, autoritate, potentia, celebritate, suffragatione, nec non clarissimis pulcherrimorum factorum documentis aduersus improborum hominum, optima quæque insectantium, inuidiam, & calumniam. Nihil istorum deerat Christi cultori & seruo, Athanasio. Tantum non suæ celsitudinis fastigium submittebat eius notæ viris IMPERATOR, recenti communionem, cœtus Christiani exultans, susceptamque religionis diuinæ professionem, quibus posset, studiis ornaturus. Vis illa ardens & lucens, quæ magno Christi legato, Ioanni Baptistæ, conciliabat frequentiam, ita dominabatur in illius sermonibus, vt non loqueretur sine applausu, & singulari populi fauore, vtpote facile sentientis, assentientisque tantisper, quoties compellatur spiritu & voce magistra genuinorum, Christi seruorum, DOMINVM suum (b) cum potentia loquentem imitantium. Neque enim frigida & intermortuæ solent esse conciones, quæ ex viua Iesu Christi cognitione proficiscuntur. Nec tamen inter tot & tanta præsidia tutus erat & intactus noster, non dicam a vi potentiorum, vel a liuore, & insidiis æqualium; sed nec a petulantia capitis obnoxii, Ischyra alicuius; cui refragari antistiti supremo, & suo nefas

(a) Hist. eccl. L. 2. c. 28. (b) Matth. VII.

nefas fuisset, & crimen vix expiandum, nisi eminentis & spectatioris viri virtus & integritas patuisset publicæ inuidiæ, atque hæc criminandi & insectandi licentiam dedisset quocumque seruientium parti. Vitio temporum pene par maiestati tantorum præfulum dignitas erat: quam comiter reuerentur viri principes; certe aduersus quam ne hiscere impune licebat, qui in ditione erant & potestate, pro mandati muneris & ministerii lege. At vero quia bona fide Christo seruiebat Athanasius, nec verborum solum contentione asserebat *EIVS* diuinitatem; sed consentaneum præ se ferebat piæ professioni sensum, studium vitæque propositum: subeunda ipsi erant fata magistri, quæ ipse genuinis suis cultoribus denunciavit. (c) Inde improbis cuiuscunque ordinis in eum licebat, quod libebat. Nam, vbi Christus est, non solum, Luthero iudice, Pilatum & Herodem; sed Iudam etiam haut procul esse oportet, nec non Petrum, sub ipsum certaminis discrimen obtestando, & iurando renunciantem traditi, damnatique *DOMINI* communioni. Tam studiose comparatas in Tyrio concilio Athanasio fuisse insidias, *Sozomenus* (d) autor est, vt nec defuerint inter optimi viri amicos repentini accusatores, aduersus eum insurgentes ex improviso, ἀπροσδόκητοι κατήγοροι. Sane concilio huic ab Arianis, Athanasii hostibus, efflagitato, & pacandæ Ecclesiæ causa ab Imperatore conuocato non diuinæ solum veritatis, & huius strenui præconis, antistitis Alexandrini, inimici; sed vtriusque fautores interesse coacti sunt. Non diffitetur istud historicus paullo ante laudatus, dum reum memorat, aliquandiu iniquitate iudicum, testiumque inimicorum fictis criminibus conflictatum, ac tumultu pene oppressum, & ex quo ad Constantinum fugerit, tandem damnatum quidem absentem, idque eo pacto, vt inimici Episcopi forensi more singula crimina perstrinxerint, ac velut arte quadam calumniam concinnauerint; adfuisse tamen multos sacerdotes, quibus iudicium istud male sanum visum fuerit, ἔχ ὑγιᾶς ταύτην τὴν κρίσιν ἔχειν: *Paphnutium, confessorem, apprehensam manu Maximis, Hierosolymorum Episcopi, iussisse eum surgere: quasi non deceret ipsos, qui confessores essent, & qui pietatis causa oculos effossos, ac poplites succisos haberent, malorum hominum concilio sociari.* Nusquam autem legitur, multos illos viros sacerdotes, nec Paphnutium, & Maximum, initio sententiæ concilii refragatos, causam iniuste damnati apud Imperatorem defendendam suscepisse, & intercessisse, quo minus calumniæ aduersariorum præualerent, & vir innocentissimus de statione decedere, atque in Galliis exulare cogeretur. Effecisse aliquid, putasses, viros famæ & autoritatis integræ: quales erant Paphnutius, & Maximus: apud Principem non obscure virtuti & innocentiam damnati fauentem. Constat enim, Imperatorem, idoneis autoribus id affirmantibus, non ideo secutum Concilii sententiam, quod eam probaret, & Athanasium animaduersione dignum iudicaret; sed vt pacaret turbatum Ecclesiæ statum, & virum optimum, quem falso turbatum autorem, & vnicam offensionis causam criminabantur aduersarii, horum furori subduceret, tutumque ei attribueret in remotis orbis terrarum partibus secessum. Quid hic non decuisset sanctos confessores, qui facile intellexerunt, diuinæ veritati fraudi fore tam strenui

eius vindicis & assertoris exilium, & pœnam iniustam: hoc pacto nec ecclesiam nec rempublicam sanari: nec mitigari improbos veritatis hostes; sed impiorum consiliorum successibus accendi & efferari, prouocarique ad opprimendos, vel amolendos iisdem artibus reliquos viros bonos. Quid non meruisset inusitatus summi PRINCIPIS amor, qui in Niceno Concilio Paphnutium, teste *Socrate (e)*, frequenter inuitauerat in palatium suum, effossumque eius oculum erat deosculatus; quem nunc in transuersum actum, prauisque consiliis impulsum ad proscribendum virum innocentem, neminem magis dehortari par erat ab incepto, quam tantopere dilectum Paphnutium? At vero a male obsequentibus, quos ductum & auspiciam antistitis sui reuereri oportebat, accusatus, ab æmulis in iudicium raptus, ab inimicis iudicatus, ab implorato in auxilium PRINCIPVM optimo reiectus deseritur ab amicis DEI, & suis virorum optimus. Adeo innocentiae, veritati, rationi, auctoritati, officio, affectuique legitimo obstabat inimicorum malignitas, fictorum criminum atrocitas, calumniandi impudentia pertinax, nec non metus intempestius, & remedii legitimi in caussa vlcerata desperatio.

Nec tamen bonus PRINCEPS indulgendo furori improborum, & male sanam eorum libidinem explendo rei vel publicæ, vel Christianæ consuluit. Accidit, quod vetus poeta (*f*) sapienter dixit: *Τῆς δὲ δίκης ῥόθῳ ἐλκομένης ἢ κ' ἀνδρες ἄγῳσι σκολιαῖς δὲ δίκαις κείνωσι θέμισας.* *Justitiæ strepitus excitatur tracta, quocumque homines duxerint, prauisque iudiciis iudicarint causas.* Præter Athanasium, teste *Theodoreto (g)*, Eustathius, Episcopus Antiochenus, Niceni concilii orator præcipuus, & ideo a laudato scriptore *τῆς ἀληθείας πρῶμαχῶ ὁ μέγας*, *veritatis defensor magnus* cognominatus, iisdem artibus deturbatus erat de Antiochenæ ecclesiæ præfectura. Tumultuosus episcoporum maximam partem damnatæ in Niceno concilio Arianæ factionis conuentus, Antiochiæ congregatus, ficto crimine adortus est impietati suæ inimicum virum, conductamque mulierculam, quæ ex fabro ærario, Eustathio, infantem susceperat, induxit, vt præsens admotum vberibus infantem ex Eustathio se concepisse iureiurando affirmaret. Vt autem oppressus forensi calumnia antistes, damnatusque refragantibus quamuis aliis episcopis, qui mulierculæ sine testibus credi fas esse negabant, deiiceretur de gradu, & exilio multaretur, suffragatione Imperatoris opus fuit: quam conuentus caput improbum, Eusebius Nicomediensis, tunc Constantinopolitanæ ecclesiæ præfectura potitus, suis artibus, accedente muneris auctoritate, & adeundi palatii copia facile extorsit. Animaduenterat optimum PRINCIPEM, annis & ærumnis fessum, totum pacando imperio intentum esse, & acquiescere, si quis verbis testatus fuerit cum Niceni concilii placitis consensum: quibus Ecclesiæ pacem constitutam satis firmatamque arbitrabatur. Victus itaque veritatis viribus Eusebius, & Arianæ impietatis in eo concilio conuictus, vt Imperatori placeret, eiusque auctoritate abuti posset ad libidinem, postliminio verbis cœpit probare concilii laudati decreta, horum autores infectaturus, & quibus posset modis, oppressurus. Principes erant Eustathius & Athanasius, quorum opera in detegenda & profliganda hæresi Ariana,

in

in concilio præcipue fuerat spectata, autoritate, gratia populari, & pietatis laude, quisque apud suos florens ad inuidiam. Ad hos igitur euertendos omnem impietatis conatum dum conuertit, strenue tamen apud Imperatorem, Nicenæ fidei integritati addictum, dissimulat veram odii, quo illos insectatur, causam, sensum videlicet ab Apostolica veritate, & huius confessoribus Nicenis alienissimum. Quanquam itaque ex historiæ monumentis satis constet, Sabellianismi, cuius falso crimine diuinitatis Christi assertores onerabantur ab Arianis, in Antiocheno conuentu infimulatum fuisse Eustathium, dissimulato tamen apud Imperatorem hoc crimine, laborauit, obtinuitque ambitu repentino & tumultuoso, vt ille, tanquam adulter, & tyrannus, in exilium mitteretur, & per Thraciam abduceretur in Illyricum. Hac dum succedit improbitas via, eadem inuadendum sibi proponit Athanasium: ad quem tamen maiore calumniarum apparatu opus fore videt, quo illustrior viri erat virtus, & maior celebritas. Præsto esse hic oportebat crimina speciosa, querelas graues, suspiciones atroces; atque harum architectos idoneos, accusatores & testes probabiles, nec paucos: ac præterea legitimam iudicii formam, tanquam aduersus non expertem iuris, & ciuilium negotiorum rudem hominem; quem *Salpitiuſ Seuerus* (h) iuris consultum appellat. Non deerat ista fingendi, cogendi, producendi occasio per muneris rationem, quod sustinebat Athanasius, ac in tanta odii, inuidiæ & æmulationis acerbitate, & dignitate æmulorum, ad quam facile conuertebantur, vel promissis trahebantur, qui antistiti legitimo parere detrectabant, & ad obtrectandum, huius virtuti & famæ non tam iniuriis acceptis, quam animi malignitate inducebantur, & autoritate contraria. Alexandrini præfulis late tunc patebat ditio & potestas in Ægypto, & vicinia. Segreges in isto tractu cœtus Meletiani habebant, quos specioso nomine martyrum ecclesias appellari volebant, & pro libidine inuadere atque regere audebant homines turbulenti, & ad ecclesiastica munera minus idonei. Hos coercere, & disciplinæ ecclesiasticæ legibus subiicere poscebat muneris Alexandrinæ antistitis ratio, iuebant canones, flagitabat populi Christiani, sub impuris & turbulentis sacrorum procuratoribus degenerantis, & a pristina sanctitate desciscentis, caritas. Certe negligere tales in ditione sua cœtus, & perturbationi corruptelisque indulgere, crimine non caruisset, & iustam aduersariis querelarum causam suppeditasset, siquidem piæ disciplinæ tam studiosi, quam inimici fuissent. Tales autem cum essent, inter eos vapulat Athanasius, quod officio minus deest: quod ditioni & potestati suæ subiectis disciplinæ legem imponit: quod profanos & impuros a sacris arcet, coercet refragantes per diaconos. Data obnoxiiis hominibus refragandi, obtrectandi, querendi & accusandi licentia, horrent omnia clamoribus, impletur palatium Imperatoris inuidiosis querimoniis de iniuria, sæuitia, arrogantia & insolentia antistitis Alexandrini. Finguntur insolentiæ specimina, Arsenius occisus, manus ei amputata & magicis vsibus destinata, Ischyras per diaconum deturbatus ex ecclesia sua, poculum mysticum confractum, libri sacri combusti, & quæ mentiendi vanitas, data omnibus accusandi licentia, excogitauit, crimina varia, memorata ab historiæ

istoria ecclesiastica scriptoribus, & ab Athanasio diserte refutata in scriptis ipsius apologeticis. Ut fidem facerent crimini atrocissimo, manum hominis, vndeunque auulsam, proferunt, circumferuntque in spectaculum per Orientis regiones, ne quis nesciret Alexandrini praesulis facinus. Additur, si quibusdam scriptoribus fides habenda est, & nisi impositum Eustathio crimen huc trahitur, stuprum hospitae illatum. Dignus sane vindice concilio, siue ecclesiastico iudicio nodus, tot tantorumque criminum cumulus. Cui dum se ipsi criminum architecti, Athanasii aduersarii, offerunt praesides, atque ea, qua apud Imperatorem valent, autoritate & gratia consequuntur iudicandi de eo facultatem; tales autem iudices merito fugit & recusat vir prudens: ecce noua praesto est criminandi materia, contumaciae, & denegatae imperatis PRINCIPIS obedientiae, ac violatae reuerentiae erga patres conuentus Caesariensis, & Tyrii non suspicio obscura, sed documentum manifestum. Iussu itaque PRINCIPIS seueriore compulsus ad subeundum iudicium, quod inimici in Tyriorum ciuitate adornauerant, cum caedem productus Arsenius refutaret, stuprum subornata muliercula alii, pro Athanasio per dolum obiecto, imputaret, fraudemque ipsa proderet, & reliqua obiecta crimina ipse accurate refelleret: odiosus in dicendo, & loquax, importunus, insolens, & iactabundus iudicatur, ac tumultu indignantium & innocentiae ipsius inuidentium pene opprimitur. Certis sane & exploratis insidiis appetitus cogitur ad Imperatorem confugere. Sed & fuga pro crimine, & iudicio est, vera esse, quae post abitum eius ab Ischyra, & inimicis concinnata sunt, noua crimina: propter quae absens damnatur, frustra refragantibus, quos isti concilio interesse oportuit, veri rectique studiosis praesulibus, traditurque multandus Imperatori. Cum ab optimo PRINCIPIS, turbarum peruerso, pacisque reducendae quacunque ratione studioso improbissimi turbatores tunc impetrarent, quod dudum voluerunt: nec auderent viri boni propter calumniandi impudentiam, qua in palatio caussa erat repraesentata, intercedere, quo minus iniuria fieret Athanasio, labesque imponeretur rei Christianae: tantisper exultat successibus improba factio; sed *tracte* ita *iustitiae strepitus* excitat vniuersi pene Occidentis praesules, qui ad vindicandum Tyriae sententiae iniquitatem certatim consurgunt, & post fata Constantini, filiorum in Occidente imperantium autoritate adiuti non desinunt exulis Athanasii propugnare innocentiam, donec ciuibus & ecclesiae patriae restitutus, ornatusque esset dignitate pristina. Apparuit hic illud *Ecclesiastici*: *Vsque in tempus sustinebit patiens, & postea redditio iucunditatis.* Quanquam enim aduersarii Constantium, Orientis dominum, habebant in partibus: quanquam Iulianus, apostata, qui omnibus sectis pacem dare videbatur, Athanasium vnice insectabatur, & e medio tollere destinabat, cedendumque ei interdum fuit temporum iniuriae: semper tamen cum summa hostium turpitudine, innocentia viri vexatissimi vicit, virtusque eius ita ad vltimum illustrata est, vt nec acerrimus Arianae haereseos propugnator, Valens, auderet Alexandrinum hoc apostolicae pietatis & veritatis columnen oppugnare. Perstat ille ad vitae finem inuictus a vi improbitatis in ipsum toties consurgentis. Sic deterfa est omnis infamiae nota, quam audax calumnia toties innocenti adperserat: sic salua prorsus i-

pfius virtutum opinio, quam suspectam ac dubiam reddiderat maledicentium multi-
 tudo & autoritas, etiam apud viros bonos. Horum enim communi de Athanasio iu-
 dicio vocem interpretem (k) *Nazianzenus* accommodasse videtur, ita de eo orsus di-
 cere: *Athanasium laudans virtutem laudabo. Idem enim est illum dicere, quod virtutem*
laudibus efferre: quoniam virtutes omnes in unum collectas tenebat. Talis post fata co-
 gnitus est, liuore quiescente, vir per maximam vitæ partem vexatissimus: qualis inter
 certamina, per spissas calumniarum nubes, vix poterat iudicari. Nec mirum, si bonis
 etiam viris non prorsus innocens, & culpæ expers visus fuerit, a tot, tantæque autori-
 tatis hominibus culpatus, accusatus, damnatus: tot conciliorum, seu iudiciorum ec-
 clesiasticorum sententiis, ipsiusque Imperatoris, PRINCIPIS optimi, verique & recti
 studiosissimi, suffragatione multatus exilio. Intemperie certe animi laborare ille
 videri poterat, præcipitique consilio ferri, & labi per imprudentiam, qui tanta ho-
 minum in se prouocat odia, in tot se coniecit certamina. Nec adeo vitio vertendum
Ammiano Marcellino, qui secutus rumores assiduos, quos memorat, (l) *Athanasium, Episco-*
pum apud Alexandriam, ultra professionem altius se efferentem, remotum esse, scribit, a sa-
cramento, quod obtinebat. Sine dubio visa est ethnico homini fortuna, & vitæ condi-
 tio, a qua Athanasius est deiectus, illi similis, pro qua Damasum & Ursinum Romæ con-
 tendisse memorat: (m) qua videlicet potiti *ditentur oblationibus matronarum, proce-*
dant vehiculis infidentes, circumspecte vestiti, epulas curantes profusas, adeo, ut eorum
conuiuia regales superent mensas; ipseque remotus præsul ab illorum antistitum mori-
 bus alienus, quos ibidem laudat: *quos nempe tenuitas edendi potandique parcissime, vi-*
litas etiam indumentorum, & supercilia humum spectantia perpetuo numini, verisque eius
cultoribus, ut puros, commendant, & verecundos. At vero non pro istis opportunitati-
 bus; sed, pro Christi gloria & veritate certamina nostrum suscepisse, satis constat: ad
 hanc autem vitæ rationem ex diuinarum litterarum, quibus puer (n) imbutus est, præ-
 scripto institutus, S. Antonii (o) contubernio assuefactus, crebrisque exiliis, & seces-
 sibus ærumnosis egregie erat obfirmatus, vt nihil magis pigeret aduersarios, inter læ-
 ta conuiuia de perdendo Athanasio deliberantes, lautiusque viuendi copiam studio-
 sissime & malis artibus captantes, quam intueri insignem illam morum differentiam,
 vitamque exprobrantem sibi vota destinationesque contrarias. Quæ de sacro Athana-
 sii, pueri, ludo quidam memorant, alii explodunt, idoneis satis argumentis vindicat, &
 confirmat *Anton. Pagi.* (p) Alia sane, quam Athanasium, ratione a prima ætate institutos
 eruditosque fuisse inimicæ factionis principes, ostendunt specimina operum, & facto-
 rum. Non diuinis litteris; sed Sotadis, turpissimi Cretensis Iambographi, lasciuis
 carminibus innutritum fuisse Arium, & ex his profanum sensum, & scribendi modum
 attulisse ad polluenda & peruertenda diuina statuta de mysterio Dei & Christi, pro-
 fanum operis, cuius reliquæ supersunt, nomen, Thaliæ videlicet, ipsarumque reli-
 quiarum argumentum ostendit. *Philostorgius,* (q) dum sectæ suæ autorem laudat, ipse

(k) Orat. de laud. Athan. (l) Libr. XV. c. 7. (m) L. XXVII. c. 3. (n) Vitæ Athan.
 aut. incert. (o) Sozom. L. II. H. E. c. 17. (p) Crit. Annal. Bar. T. I. p. 357.
 (q) H. E. L. II. c. 2.

tamē testatur, eius notæ *cantica nautica, molendinaria ac viatoria*, & alia illū composuisse *certis aptata modulationibus*. Hoc pacto suauitate cantus ad impietatem imperitorum animos illexisse autorem, compilator eclogarum iudicat. Merito itaque concilii Niceni autoritate huius generis libri damnati, combusti, & prohibiti sunt, testantibus *Soerate (r) & Sozomeno*; (s) nec temere *Seuerinus Binius (t)* credit, vulgatis talibus libris Arium *per iocum & lasciuiam, ceu per meretricias choreas & saltationes multorum sibi animos deuincire studuisse*. Eusebium Nicomediensem, Arii condiscipulum, Iuliani Imp. magistrum, & materno genere cognatum facta produnt, spiritu CHRISTI alienissima, superbiæ, vanitatis, & desultoriæ leuitatis plena. Hæc non patiebatur hominem contentum esse Berytensis ecclesiæ præfectura, quæ in Syria ei contigerat: quod canones iubebant. Nicomedia, imperii orientalis tunc sedes, & Romæ æmula, non ita pridem egregie amplificata a Diocletiano, aptior illi fortunarum sedes visa fuit: cuius ecclesiæ antistes vt celebraretur, laborare non destitit. Ex quo Byzantium orientalis imperii factum est domicilium, & hic episcopus esse voluit. Quid veri rectique expectares ab eius generis theologis? Quomodo delibutus & effœminatus lasciuus canticis animus Christi mysterium recte percipere, & conuenienter poterat profiteri? Quis ardello sublime caput Christi iugo submittet? Cui cordi sunt huius vitæ opportunitates, opes, gloria, potentia, nunquam placebit crux dominica, & genuinorum Christi discipulorum insignia, & præmia. Hinc non est mirandum, huius notæ homines implacabile in pios & cordatos Christi cultores gerere odium, omnesque vias persequi, quibus hos de gradu, ex patria & vita, si possint, deturbent, excludant, tollant. Aduersus quorum insidias & machinationem consultum est, mature præparari, & diuinis præsiidiis obfirmari. Contemplando igitur strenuorum athletarum Christi exemplo non parum in hac prudentia proficere posse videtur iuuentus studiosa. Quem in finem innocentissimi & vexatissimi præfulis Alexandrini exemplum, priuata industria excussum, publice repræsentabunt tres SELECTÆ CLASSIS alumni, incipientem ILLUSTRIS GYMNASII lustrationem solennibus sermonibus prosecuturi, & simul huic scholæ valedicturi: nempe

IOAN. MELCH. SCHWARTZ, MICRO-SOMMERDAN.

IOANNES TOBIAS HOFMANN, GOTHANVS,

FRIDER. ALEXANDER KVHNHOLD, GOTHANVS,

ille de studiis,

iste de factis,

hic de fatis Athanasii,

quisque pro captu suo peroraturi.

Ad horum alumnorum studia excitanda, vt frequentes crastino die, hora VII. ante meridiem in auditorio CLASSIS I. confluant ILLUSTRIS GYMNASII *patroni, fautores & amici*, ea, qua par est, obseruantia rogantur.

(*) L. I. c. 6.

(s) L. I. c. 20.

(t) Concil. gener. T. I. p. 264.

Datum der Entleiherung bitte hier einstempeln!

SÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK



2 0478403

